

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum nullo meritorum noſtrorum ſuffragio à Domino conſtituti, piis Fidelium votis quibus virtutum largitor in ſeruis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis. Cum itaque ſicut dilectus filius noſter Gaſpar, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis, Borgia nuncupatus, nobis nuper expoſuit, venerab. fratres noſtri S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus Præpoſiti, cauſam ſerui Dei FRANCISCI BORGIAE Olim Ducis Gandiæ, ac poſtea Religioſi Profeſſi, & tertij Præpoſiti Generalis Societ. IESV à tribus Rotæ auditoribus, inſtante claræ mem. Philippo Tertio Hiſpaniarum Rege Catholico, necnon Regnorum eiuſdem Philippi Regis Proceribus, Ciuitatibus, Vniverſitatibus, ac demum Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, & deinde de mandato noſtro ab eiſdem Cardinalibus referente dilecto filio noſtro Fráciſco ſancti Angeli in foro Piſciũ Diacono Cardinali, Boncompagno nuncupato, diſcuſſam, cùm de validitate proceſſuum, de ſanctitate vitæ, ac deniq. de miraculis ſufficienter conſtare pronuntiaſſent, in tali ſtatu cẽſuerint habendam, vt ad ſolemnem ipſius ſervi Dei canonizationem quandocumque deveniri poſſit; Gaſpar vero Cardinalis, ac Præpoſitus, & Presbyteri dictæ Societatis, pro eo quem erga eundem Dei ſervum FRANCISCVM BORGIAM gerunt deuotionis affectu, illum BEATVM nuncupari, ac officium & Miſſam de eo, donec ad illius canonizationem deueniatur, recitari, ſummopere deſiderent; Nos piis Gaſparis Cardinalis, ac Præpoſiti Generalis, ac Presbyterorum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes; ac ſingulares Præpoſiti, & Presbyterorum prædictorum perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exſiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum Conſilio, vt idem Dei ſervus FRANCISCVS BORGIA BEATVS nuncupari, deque eo ab omnibus Societatis IESV Religioſis vbique exſiſtentibus, nec non in ditionibus familiæ illorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus, tam ſecularibus, quã Regularibus Kalendis Octobris ipſo nempe die ſui obitus Miſſa celebrari, ac officium de communi Confeſſoris, non Pontificis recitari iuxta rubricas Miſſalis, & Breviarij Romani reſpectiuè, liberè & licite valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcumq. Volumus autẽ vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis Secretarij ipſius Societatis, vel Notarij publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicuius in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 23. Nouembris 1624. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Loco ✠ annuli Piſcatoris.

V. Theatinus.

Don Martinus de Funes Vic. Gñlis.